Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 3225

Quelle:
Copyright:

epiſcopus dignenſis (Petrus de Vercellis) *in preſencia dominorum prelatorum et ceterorum principum non tamen regis. plura contra auctoritatem ſupremam generalium conciliorum expoſuit. Ad que pro parte ſancti concilij per organum M. thome de corcellis ſacre theologie doctoris vnius ex ambaſiatoribus concilij baſilien. predicti extitit reſponſum, vt infra ſequitur.* En igitur Scripta duo Conventum *Bituricenſem* illuſtrantia. Initium praeſentis: *Illuſtriſſimi* &c. *Incumbit nobis ex legationis officio* &c.

XII. *fol.* 119. Tractatus de Autoritate Concilii Generalis ſupra Papam pro Concilio *Baſileenſi* diviſus in XVI. *Propoſitiones, Aduertencias ſiue Capitula.* Cujus initium: *Victus modeſtia imperantis paterne iuſſionis cui reſiſtere non licebat* &c. In *Cod.* DCXLI. tribuitur *Bartholomaeo Trajectenſi* Carthuſiae *Ruraemundanae* Priori, qui annum 1446. ſupremum habuit, teſte *Petrejo* in *Biblioth. Carth.* p. 18. ubi pariter hunc Tractatum ei tribui video, quem tamen *Tritbemius* in *Scriptt. Eccl. n.* 799. diſſimulat.

XIII. *fol.* 131. *Reſponſio ſacri concilij baſilien. vniuerſalem eccleſiam repreſentantis Oratoribus Sereniſſimi principis domini frederici romanorum regis nec non Reuerendiſſimorum patrum et illuſtrium principum dominorum electorum ſacri romani imperij in congregacione generali huius ſacri concilij conciliariter facta ad peticionem per eos porrectam, cujus tenor ſequitur et eſt talis.* Petunt videlicet: *quatenus modis congruis ad generalis concilij ab omnibus indubitati congregationem infra unius anni ſpacium perueniatur, loco ſue Maieſtati et ſuis principibus electoribus grato rebus gerendis accommodo.* Reſponſum porro Concilii *Baſileam* aegre deferentis legitur in *Manſii Supplem.* T. V. *col.* 25. ſummatim, ut hic; fuſe vero deductum T. XVII. *Collect. Labb.* edit. *Venet. col.* 569.

XIV. *fol.* 132. p. 2. *Reſponſio Gabrielis olim Eugenij pape IV. Oratoribus romanorum regis et electorum imperii facta.* Initium: *De venerabilium fratrum noſtrorum ſancte romane eccleſie cardinalium conſilio reſpondemus ut ſequitur. Deſiderium cariſſimi in chriſto filij noſtri in romanorum regem electi* &c. Suboffenditur *Eugenius*, quod Concilium *indubitatum* petatur; promittit tamen, ſe cum Concilio ſuo in *Lateranum* tranſiturum ibique deliberaturum, *an eciam aliud concilium numeroſius indicere expediat.* Notae loci et temporis abſunt, neque Scriptum iſtud in Collectionibus *ſupracit.* reperio

XV. *fol.* 135. Conſiderationes quaedam de Statu eccleſiaſtico et civili *Geldriae* hoc initio: *Quia timui aliquorum inſtantem practicam, per quam virtus iuſticie ſi poneretur in eſſe, ati videretur mirabilem iacturam, Ego humillimus ac deuotiſſimus capellanus ſereniſſimi principis ac domini mei gracioſiſſimi domini arnoldi Ducis gelrie profeſſione et precepto me obligantibus ſpiritu me impellente quibus contraue-*